FRANCISCI MONTMORENCII

E SOCIETATE IESV

CARMEN EVCHARISTICVM

D. O. M.

CONDITÆ SOCIETATIS ANNO SÆCVLARI.

M. DC. XL.

Digitized by Google

PRÆFATIO.

PSALMVS ſupra centeſimum ſextus in Templi Salomonici dedicatione, alijſque publicæ lætitiæ teſtificationibus olim vſurpatus: ſub conſimilem modo Sæcularis Anni conditæ Societatis IESV celebritatem, mihi facilè perſuaſit numeris illum vt Poëticis ornarem, ac præſenti argumento ob quandam rerum Analogiam non intempeſtiuè, vt opinor, accommodarem. Quemadmodum enim in eo Pſalmo prima laudis initia obtinet Hebræorum è grauiſſimâ ſeruitute exemptio: ita non immerito primas Euchariſtici pro Societate Carminis partes ſibi depoſcit, omnium noſtrûm è durâ Mundi compede in libertatem filiorum Dei aſſertio; cum inde ſumpſerit exordium felicitas omnis noſtra tum publica tum priuata. Quod ſi varia Maris & Viarum pericula adierunt Iſraëlitæ, & ab ijs Diuinâ ope ſeruati ſunt: nec pauciora, nec minora, nec minus illuſtri Numinis fauore ſubierunt noſtræ Societatis homines, dũ ipſis periculis maiores tendunt ad extremos hominum Iaponas, & in omnem Mundi plagam, viam ſibi for-

bi fortiter aperiunt. Denique ſi gens Iſraëlitica varias inter hoſtiũ impugnationes haud mediocribus efflor uit incrementis: certè & Societas IESV inter plurimas res aduerſas, tot tantiſque intra annos centum aucta eſt Prouinciarum, Collegiorum, Operarum acceſſionibus, tam latè per Orbem diffuſa; vt non tàm de Româ quàm de Societate ceciniſſe videri poſſit Claudianus.

Hæc eſt, exiguis quæ finibus orta, tetendit
In geminos axes, paruaque à ſede profecta
Diſperſit cum Sole manus.

Ad has accedebat cauſas, alia non leuior; eximia ſc licet huius Pſalmi ab opificio Poetico laus & commendatio, quamque etiam in peregrinâ retinet linguâ, naturalis pulchritudo. Quis elucet in eo lepos ex graphicis periculorum deſcriptionibus? Quam elegans tot inter caſus Opis à Deo præſtitæ amplificatio? Quanto ſinceræ Pietatis ſenſu, quibus modulorum illecebris actæ gratiæ? Quam venuſtus vbique ordo? quam prudens Oeconomia quæ longiorem alioquin Pſalmum (ne tædio foret vno ſpiritu ductus) in paria Quinque diſtribuit membra; quibus inter ſe nectendis Intercalares aptiſſimè recurrunt verſus variarum vt rerum commiſſuras commodâ dexteritate diſſimulent? Admirabili ſiquidem

quidem totus hic Pſalmus eſt diuerſitate cõtextus; & multiformem Naturæ vultum æmulatur; quæ modo in montes aſſurgit, modo dehiſcit in valles, hîc ſiluis horret, lacubus alibi ſtagnat, pubentibuſque circum herbis ac floribus renidet. Eiuſmodi porro varietas non alio melius exprimi potuit charactere, quam Pindarico. Pindarus enim in ſuis Odis eam præcipuè ſectatus eſt varietatem, affinem planè Dauidico genio, & pari elocutionis ambitu diffuſam. Quocirca Poëticam huius Pſalmi Paraphraſim in Strophas, Antiſtrophas, ac Epodos diſtinxi, vt ſic aliquam Odarum Pindarj repræſentarem imaginem: cuius tamen Artificium imitari malui, quàm numeros; præſertim incertos; quos nec ſequẽdos ſibi propoſuit Flaccus, ſummus aliàs Pindarj admirator. Tu, mi Lector, ſi fortè nimio Veterum ſtudio, nouam hanc metri ſpeciem faſtidis; aures ſaltem depoſitis tantiſper præiudicijs conſule: earum ego iudicium (licet quam ſuperbum eſſe ſoleat ſatis nouerim) in hac cauſâ non detrecto.

PSALMVS CVI.

TITVLVS.

* ALLELVIA.

* *Recte Titulus Pſalmi eſt* Alleluia *hoc eſt* Laudate Dominum; *quia hoc Pſalmo, Dei laus à quinque Choris celebratur.*

Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſæculum miſericordia eius.

Dicant qui redempti ſunt à Domino, quos redemit de manu inimici, & de regionibus congregauit eos.

ARGVMENTVM.

Sub Iſraëlitarum typo, Hymnus hic conuenit Pijs omnibus, ſed Electis præcipuè, qui à varijs animæ, corporiſque periculis, Diuinâ fuerint ope liberati. Hortatur hos Dauid ad gratias Liberatori DEO referendas.

Strophe. ά.

DEO dicite Canticum.
Æquior Solymæ Deus
Canticum ſibi poſcit.
Age, liberatum
Modo vulgus, hoſtis
A tyrannide barbari:
Eucharistica dic tuo
Ritè carmina Vindici.
Deus Iſraëlem
Deus ipſe Vindex
Abſoluit veteri iugo.
Sub quácunque Poli plagâ
Diſperſos iubet exules
In auita rurſus
Regna reponi.

Antiſtrophe.

Quæ non ora Siönides
Captiuas tenuit nurus?

A Solis ortu & occaſu, ab Aquilone, & * mari.

Per mare intelligitur Meridionalis plaga.

Errauerunt in ſolitudine, & inaquoſo: viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt.

Eſurientes & ſitientes: anima eorum in ipſis defecit.

* Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum eripuit eos.

Intercalaris verſus.

Et deduxit eos in viam rectam: vt irent in ciuitatem habitationis.

Quà Sol ſurgit ab Indis,
Face quà colorat
Propiore Mauros,
Quà Tarteſſiaco diem
Condit præcipitem freto,
Quà remotior ultimos
Glaciat Triones:
Redit undequaque
Collectum genus Iſaci.
Ah! quæ difficilis viæ,
Quæ Famis mala pertulit
Sitientis æſtus
Inter arenæ?

Epodus.

Donec ſollicitâ prece
Rebus Numen in aſperis
Patrium vocavit,
Votis ocyùs adfuit:
Et tritum per iter, vagos
Optatùm ſtitit ad Larem.
Meritam quis illi
Curet reddere victimam?
Ecce ducitur aureis
Frequens victima cornibus:
Montes ecce Sionij
Hecatomba pingues
Imbuet Aras.

** Alter intercalaris Verſus.*

* Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum.

Quia ſatiauit animam inanem, & animam eſurientem impleuit bonis.

Sedentes in tenebris, & vmbrâ mortis: vinctos in mendicitate & ferro.

Quia exacerbauerunt eloquia Domini: & conſilium Altiſſimi irritauerunt.

Et humiliatum eſt in laboribus cor eorum: nec fuit qui adiuuaret.

Strophe. β'.

Deo dicite Canticum.
Æquior Solymæ Deus
Canticum ſibi poſcit.
Age, ſerua nuper
Solymæa Pubes,
Iam Semiramio pedem
Effer libera carcere;
Extricata velut plagis
Fera ſilmcultrix.
Quis erat, miſella,
Tunc ſenſus tibi, duplici
Dum circumdata compede,
Dum coërcita vinculis,
Gemeres ſub ipſo
Pondere ferri?

Antiſtrophe.

*Non te (crede mihi) * Ninos*
Centum continuit feris:
Non hæc brachia tergo
Validis retorſit
Babylon catenis.
Iſtud (ſi ſapis) imputa
Noxis ſeruitium tuis:
Addixit rigidæ ſcelus
Graue te cataſtæ.
Deus hanc rependit
Contemptus tibi gratiam,

* Sic dicta Ptolemæo, Straboni, Plinio, vrbs regia Aſſyriorum, à Nino conditore.

Pœnas

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Et eduxit eos de tenebris & vmbrâ mortis: & vincula eorum diſrupit.

** Obſerua hic Hyperbaton hic enim verſus præcedere debet Intercalarem, & ſubſequi immediatè verſum.* {Et eduxit eos de tenebris.}

Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

* Quia contriuit portas æreas: & vectes ferreos confregit.

Pœnas flagitijs pares.
„Rarò deſerit impium
„Pedibus ſecuta
„Vltio claudis.

Epodus.

Poſtquam ſollicitâ prece
Rebus Numen in aſperis
Patrium vocaſti.
Votis ocyùs adfuit.
Vectes rupit aheneos,
Et nodis, ſolido magis
Adamante firmis
Vernas expedijt ſuos.
Iö Plebs! Babylonij
Fractum carceris obicem
Redux offer; & è tholo
Anathema ſanctæ
Pendeat Ædis.

Strophe. γ'.

Deo dicite Canticum.
Æquior Solymæ Deus
Canticum ſibi poſcit.
Age, liber omni
Vacuuſque morbo;
Solemni memor Iſraël
Dic Soteria carmine.
Non hac à Medicâ Salus
Tibi venit arte.

Quid

Suſcepit eos de viâ iniquitatis eorum: propter iniuſtitias enim ſuas humiliati ſunt.

Omnem eſcam abominata eſt anima eorum: & appropinquauerunt vſque ad portas mortis.

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Quid opis tulerunt
Ægro pocula, quæ Cilix,
Solers miſcuit aut Arabs?
Nîl onyx opobalſami,
Vel odora iuuit
Lacryma myrrha.

Antiſtrophe.

Languor immedicabilis
Qui te torſit; erat tua
Merces debita culpæ:
Neque mitiori
Decuit flagello
Noxium latus atteri.
Iam te Nauſea, iam dapis
Te faſtidia, proximum
Tulerant recluſis
Foribus ſepulchri:
Iam ſanguis propè fugerat
Venis, iam ſteterat, ſuis
Orba arteria pulſibus:
Oculoſque nox ob-
orta tegebat.

Epodus.

Quando ſollicitâ prece
Rebus Numen in vltimis
Patrium vocaſti.
Votis ocyùs adfuit,
Mortes per medias volans

Vt vi-

** Alluſio ad illud Sapien. 6.* Etenim neque herba, neque malagma ſanauit eos, ſed tuus Domine ſermo qui ſanat omnia.

* Miſit verbum ſuum & ſanauit eos; & eripuit eos de interitionibus eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Et ſacrificent ſacrificium laudis: & annuntient opera eius in exultatione.

Qui deſcendunt mare in nauibus, facientes operationem in aquis multis.

Ipſi viderunt opera Domini: & mirabilia eius in profundo.

Dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ: & exaltati ſunt fluctus eius.

Vt vitam tibi redderet.
Viden' aſtuoſæ
Vt febris temerarios
VERBO fregerit impetus?
„Rerum ſcilicet Arbiter
„VERBO cuncta ſuo regit,
„Dominamque vocem
„Fata ſequuntur.

Strophe. δ'.

Deo dicite Canticum.
Æquior Solymæ Deus
Canticum ſibi poſcit.
Age, dic ad Aram
Bona verba ſupplex,
(Iſraël) pelagi Deo,
Qui per monſtra natantia,
Per & naufraga littoris
Freta Gaditani,
Lybicique Syrtes
Duxit incolumem maris:
Dum, quam protulit India
Venalem peteres tuo
Pretioſus emptor
Funere gazam.

Antiſtrophe.

Quàm te penè dedit neci
Auſtri dira proteruitas
Decertans Aquiloni?

Aſcendunt vſque ad cœlos,& deſcendunt vſque ad abyſſos, anima eorum in malis tabeſcebat.

Turbati ſunt,& moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt.

Et clamauerunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberauit eos.

Et ſtatuit procellam eius in auram: & ſiluerunt fluctus eius.

Et lætati ſunt quia ſiluerunt: & deduxit eos in portum voluntatis eorum.

Confiteantur Domino miſericordiæ eius: & mirabilia eius filijs hominum.

Quibus ille ſlabris
Quatiebat æquor;
Siue ad ſydera tolleret,
Siue deprimeret nigros
Ad Manes, nimio metu attonitum carinæ
Fragilis Magiſtrum?
Cui turbata velut mero
Vis defecerat Ingeni;
Cui Mens exagitantium
Cumulo malorum
Hauſta, peribat.

Epodus.

Donec ſollicitâ prece
Rebus Numen in vltimis
Patrium vocaſti:
Votis ocyùs adſuit.
Ponti compoſuit minas,
Et moto placidam mari
Retulit quietem.
Noti murmura iam ſilent,
Iam ſpumæ ſcopulis cadunt,
Iam ſoſpes tua proſpero
Nauis fertur Iäpyge
Ad amica fidæ
Littora Byblûs.

Strophe. i.

Deo dicite Canticum.

Et exaltent eum in Eccleſiâ plebis, & in cathedrâ ſeniorum laudent eum.

Poſuit flumina in deſertum, & exitus aquarum in ſitim.

Terram fructiferam in ſalſuginem, à malitiâ inhabitantium in eâ.

Poſuit deſertum in ſtagna aquarum: & terram ſine aquâ, in exitus aquarum.

Et collocauit illic eſurientes: & conſtituerunt ciuitatem habitationis.

Et ſeminauerunt agros, & plantauerunt vineas,* & fecerunt fructum natiuitatis.

* *Chaldæus Paraphraſtes vertit* [Fecerunt fructum germinis.]

Et benedixit eis, & multiplicati ſunt nimis: & iumenta eorum non minorauit.

Æquior Solymæ Deus
Canticum ſibi poſcit.
Age, plaudat omnis
Populi corona
Confeſſuſque Patrum, Deo
Qui ſiccat maris alueum:
Quo vetante; neque amnibus,
Neque lympha riuis,
Neque fonte manat.
Quo cultoribus improbis
Aduerſante; priùs ferax
Verſâ protinus indole
Sterileſcit arui
Vber opimi.

Antiſtrophe.

Quo fauente; priùs ſiti
Squallens glarea, fontibus
Irrigata vireſcit:
Et inops aquarum
Scatebris arena
Bullit ſubſilientibus.
Hos fauſto tetigit pede
Hoſpes Iſacides locos;
Vbi tecta figat,
Subigatque glebam.
Campis nata ſeges; iugis
Vua; gramina vallibus;

Et pauci facti ſunt,& vexati ſunt, à tribulatione malorum & dolore.

Effuſa eſt contemptio ſuper Principes,& errare fecit eos in inuio,& non in viâ.

Et adiuuit pauperem de inopiâ, & poſuit ſicut oues familias.

Videbunt recti & lætabuntur: & omnis iniquitas oppilabit os ſuum.

Quis ſapiens & cuſtodiet hæc? & intelliget miſericordias Domini?

Caulis innumeri greges;
Stabulisque longum
Exijt agmen.

Epodus.

Felix ò nimis Iſraël!
Nî iurata nocentium
Manus inuideret,
Bellisque attereret nouis.
Sed Paſtor vigil excubat,
Mulctans opprobrio, hoſtium
Maleſana cœpta.
Quot hinc lætitiæ Pijs?
Quæ ſilentia ſontibus?
Fas ſit altiſonâ mihi
Hæc euoluere barbito.
Quis vtramque Vati
Præbeat aurem?

CARMEN SÆCVLARE

PRO SOCIETATE

IESV.

Digitized by Google

PSALMVS CXXXII.

T I T V L V S.

PSALMVS GRADVVM.

ECce quàm bonum, & quàm iucundum habitare fratres in vnum.

Sicut vnguentum in * capite quod deſcendit in barbam,barbam Aaron.

* *Caput Religioſorum eſt* Iesvs Christvs: *quem* propterea vnxit Deus oleo lætitiæ, præ cõſortibus *vt ab eo Supremo capite, in ſingula Societatis eius membra, hæc Spiritus Sãcti vnctio copioſiſſimè deriuaretur, & inde ad vniuerſum populũ odor eius, iucundiſſimè dimanaret.*

ARGVMENTVM.

Sancti Baſilius, Auguſtinus, & Antoninus, commodè adaptant hunc cxxxii. Pſalmum Religioſis cœtibus.

Strophe. ά.

Viden' vt recepti
Habitent eâdem
Fratres vnanimes Domo?
Amor neſcius improbis
Diſſolui querimonijs
Pari copulat hos fide.
Quid beatius vſpiam?
Viden' vt benigno
Pluat his Bonorum
Copia cornu?
Pretioſa conchis
Sic vnguenta capacibus
Largè fuſa, ſacrum rigant
Caput Aäronis;
Inde molliter è comis
In barbæ ſocias niues,
Veſtis mox hyacinthinæ
Imas ad vſque fimbrias

Per-

Quod deſcendit in oram veſtimenti eius.

Sicut ros Hermon, qui deſcendit in montem * Sion.

** Hic mons Sion trans Iordanē alio nomine vocatur ab Euſebio Sanir, cui longè altius Hermonis iugum imminet, vt & cæteris Baſan & Galaad lõgâ ſerie connexis Hermoni montibus. Hinc aliquando in S. Scripturâ mons Sion pro toto Hermone accipitur* συνεκδοχικῶς *vt obſeruat Antonius Agellius, & Petrus de Palatio.*

Perlata, dant procul ſuos
Famulis odores
Spargere ventis.

Antiſtrophe.

Dubia ſub ortum
Ita Ros diëi
Sudi filius ætheris,
Hermonis recreat iugum:
Prono deinde volubilis
Decurſu, minus ardui
Per decliuia Saniris
Amat ire terga;
Modicoſque circum
Vndique colles
Baſani, pererrat:
Deuexum ſubit hinc latus,
Inter & virides fluit
*Oleas * Amani;*
Donec latipatentium
Exceptus cupido ſinu
Camporum Galaditidos;
Meſſes adhuc in gramine
Fœcundet auctibus nouis,
Ierichuntinaſque
Stipet ariſtas.

* *Huius montis mentio fit cap 4. Cantici Gãticorum.* Veni de capite Amana, de vertice Sanir.

Epo-

Quoniam illic mandauit Dominus bene-
dictionem:& vitam vſque in ſæculum.

Epodus.

O quêis floret honoribus,
Quêis hac diuitijs Domus,
Vbertim ſua munera
Cumulante cælo?
Neque limes vllus,
Neque meta tantam
Siſtet munificentiam.
O dilecta nimis Deo
Fratrum mutua gratia!
Hominum ô voluptas!
Quo te proſequar omine?
Hæc, opto, maneant, Bona
Quibus eniteſcis,
Plus vno tibi SÆCVLO.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

PSALMORVM DAVIDIS ENCOMIVM.

BALTHASARI CORDERIO SOCIETATIS IESV THEOLOGO DVM PATRES GRÆCOS PSALMORVM INTERPRETES IN LVCEM EDERET ANNO SOCIETATIS SÆCVLARI.

*ODE PINDARICA.

Strophe. α.

„THESAVRI *meliùs latent.*
Tegat irrepertum
Cœco Terra parens ſinu,
Tenebriſque damnet
Aurum. Cur operoſiùs
Indorum cana montium
Scrutet viſcera? pallidus
Vbi Dite foſſor

C *Pro-*

* Inducitur Chorus qui contrarijs motibus per Cõuerſionem ac Reuerſionẽ hanc Oden ſic decurrat, vt quos Strophe deterruit, animet Antiſtrophe, Epodus confirmet,

Propiore viſo
Redit, erutoque
Concolor auro.

Antiſtrophe.

„*Nîl mortalibus inuium.*
Labor has latebras
Perrupit Salomonius.
Ophyram ligones
Primus hic docuit pati:
Effoſſaſque Siönijs
Gazas intulit arcibus;
Biforeſque Templi
Radiare valuas
Dedit, infrequenti
Ante metallo.

Epodus.

His ab auſpicijs, Opum
Dites quæſijt inſtitor
Iber officinas:
Nec lucris poſuit modum:
Vt collegerit hinc Auus
Olim multa; celer ſequi
Haud minora feret Nepos.
Et adhuc ſuperſunt
Plura repertis.

Stro-

Strophe. β'.

„Franet Spes nimias Pudor.
Dauidis Poëma
Theſauris Ophyræ altius
Locupletiuſque
Quiſquis illecebrâ ſacri
Captus carminis aſpicit:
Nec profunda tamen pauet
Animo ſagaci
Penetrare ſenſa:
Opus ille maius
Viribus audet.

Antiſtrophe.

„Audentes bona Sors iuuat.
Prait ecce fauſto
Dux Chryſoſtomus omine:
Subit & Cyrillus.
Nec illis Adamantius
Cedit; Cappadocis neque
Mens interrita GregorI;
Vigileſve Magni
BaſilI lucernæ,
Et Apollinaris
Vatis acumen:

Epo-

Epodus.

Par omnes tenuit ſitis
Auri (quo Dauid hymnifer
Scatet) eruendi.
Nec te cura coquit minor
CORDERI, *Bona publici*
Iuris vt facias, tibi
Quæ Graius peperit Labos;
Refereſque gazas
Ante latentes.

FRANCISCVS MONTMORENCIVS

EX EADEM SOCIETATE.

Digitized by Google